





13
1776, 28

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PHRENITIDOS
AD
VARIAS FEBRIVM SPECIES
ACCESSIONE PERQVAM FACILI

QVAM
E DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. ADAMO NIETZKI
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ET FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CAPESSENDIS

H. L. Q. S.
DIE II. MAII MDCCCLXXVI.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

CHRISTOPHORVS THEODORVS NIEFELD

NAVENSIS MESO-MARCHICVS.

HALAE AD SALAM
STANNO CVRTIANO.

DISSERTATIO IN UNIVERSALIS MEDICA

PER RHEUMATISMOS

AD

VARIAS TERRIVM SPECIES

ACCESSIONE TERRIVM TALIUM

ET DISQUISITIONE CAUSARUM TALIUM MEDICAE

IN REGIA UNIVERSITATE

RESIDENDI

D. ADAMO NITZKI

PHYSICAE ET MEDICINAE

PRO GRADU DOCTORIS

EXAMINATAE IN MEDICINA HONORARIIS AC PRIVILEGIIS

DOCTORALIA HIC CAUSANDI

IN REGIA UNIVERSITATE

PHYSICAE ET MEDICINAE

RESIDENDI

THEODORO THEODOROVICHO

PHYSICAE ET MEDICINAE

PHYSICAE ET MEDICINAE

PHYSICAE ET MEDICINAE





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
P H R E N I T I D O S
AD
VARIAS FEBRIVM SPECIES ACCESSIONE
PERQVAM FACILI.

§. I.

Instituti indicatio.



Saepenumero docuit experientia, fida illa veritatis praeceptrix: fieri nimirum, vt mentis alienationes in iis quoque febrium casibus, vbi vel prorsus nullae, vel saltem admodum exiguae, adeste solent, oboriantur; magis magisque increscant; statusque aegrotantium ideo reddatur periculofissimus. Non poterit igitur non tantae mutatio-

A

tio-

tionis solida cognitio ad salutem aegrotantium utilis esse. Nam distincte perspectis morbi originibus ac effectibus, haud difficulter inuenire licebit remedia, ad illum vel praecauendum, vel imminuendum, aut plane sanandum idonea. Quare iam cogitanti mihi de argumento, cuius pertractio prae multis aliis digna foret specimine publico inaugurali, nunc maxime placuit phrenitidos, ad varias febrium species perquam facile accedentis, examen accuratius instituire. Atque hoc ita efficere curabo, vt omnia argumenti tractandi momenta ad certa ac perspicua reuocentur principia, propositisque prius theoreticis, subiungatur tandem vsus practicus.

§. II.

De phrenitidos notione.

De phrenitidos ad varias febrium species accessione perquam facili disputaturum necessario oportebit, vt de inflammatione generatim verba prius faciat, eiusque tum causas, tum effectus rimetur: cum me iudice, atque etiam in idem consentientibus summis in arte salutaris viris, speciem febris inflammatoriae, ab encephali inflammatione dependentis, constituat phrenitis (a). Exposita enim prius riteque diiudicata inflammationis ratione, thesis quoque mea facilius probari, et conuenientius ad intelligendum adaptari a me poterit.

a) Qua de re praeclare differit *pevill.* L. B. de SWIETEN Tom. II. *Comment. in BOERH. aphor. §. 771.* cuius verba hoc iam loco allegare conueniet. „Mens, inquit, Graecis „*Φρην* dicebatur, et *Φρένας* pro sapientia Graeci passim vsur-

ACCESSIONE PERQVAM FACILI.

„ſurpabant: vnde *Φρενίτις* dicitur quaſi τῶν *Φρενῶν νόσος*
 „vti ἀρθρίτις τῶν ἀρθρῶν, ac πνευρίτις τῶν πνευρῶν. Vi-
 „deres enim vſu apud Medicos Veteres obtinuiffe, vt par-
 „tis affectae nomini adderent terminationem *itis*, quando
 „inflammatorium imprimis eiusdem partis morbum defi-
 „gnare volebant, vti patet in hepatide, nephritide, etc.
 „Illius ergo partis corporeae, vnde humana ſapientia pen-
 „det, morbum phrenitidem dixerunt, quam et ideo *Pli-*
 „nius recensens ſigna lethalia in hoc morbo ab *Hippocrate*
 „memorata, vocavit *ſapientiae aegritudinem*. Cum au-
 „tem et maniaci, et melancholici inſaniant, optime phre-
 „nitidem ab his morbis diſtinxit *Ceſus*, dicens: *incipiam*
 „*ab inſania primamque huius ipſius partem aggrediar*,
 „*quae et acuta, et in febre eſt*. Graeci *Φρενίτις* appellant.
 Conferri hic etiam merentur: NICOL. HEINIVS in *phreniti-*
dis theoria et therapia. ROLEFNCIVS in *diſſert. de phreni-*
tide. SCHENKIVS in *diſſert. de phrenitide*. LAVR. THEOPH.
 LVTHER in *diſſert. de phrenitidis indole et cura*. CAROL.
 AVG. DE BERGEN in *diſſert. de phrenitide. Illuſtr. b. m. 10*.
 HENR. SCHVLZE in *diſſert. de paraphrenitide*: vbi argu-
 mentis congruis euictum datur, quantopere illi errēt,
 qui nihil, aut parum diſcriminis inter paraphrenitidem
 et phrenitidem intercedere ſibi perſuadent; cum tamen
 illa diaphragmatis, haec vero meningum cerebri inflam-
 mationem ſupponat. *Illuſtr. Praeſes meus ac praeceptor*
 aeternum deuenerandus in *elementis Patbolog. vniuerſ.*
 §. MCCCCXVIII. et ſeq. Haec omnia doctorum
 virorum teſtimonia ſatis probant, oportere propoſiturum
 phrenitidis acuratiorem definitionem eo potius animum
 dirigere, vt de laeſionis in encephalo conditione eviden-

ter constet. Atque haec cum ad inflammationem ibidem subortam, indeque in corpore necessario accensam febrem acutam, eamque inflammatoriam, redeat: rectius iam et genus definitionis, cum eiusdem differentia specifica, intelligere licebit, et reliquos morbi huius effectus dirissimos, quibus ille stipatus incedere solet, facilius inde deducere. Sed haec iam ex subsequentiis magis fient perspicua.

§. III.

Quid per inflammationem generatim intelligendum.

Observare quandoque licet, vasâ sanguinea in vna atque altera parte corporis humani supra modum vibrari ac distendi. Quod quando fit: nullum tunc dubium erit de inflammationis (a) ibidem natae existentia. Cuius definitionis ope inflammatio in omnibus casibus suborta non solum perquam facile cognosci, sed etiam inde satis intelligi poterit, cur partium in locis affectis rubor, tumor, calor et dolor, tamquam phaenomena, quibus CELSVS (b), pluresque alii veterum medicorum loco notarum uti solebant ad inflammationem definiendam, necessario prodire debeant; partim vero etiam cuius conditionis causam mutationis huius in corpore humano esse oporteat: utpote quam celeberrimus BOERHAAVIUS in inflammationis definitione ad sanguinis rubri arteriosi in minimis canalibus stagnantis pressionem ob attritum a motu reliqui sanguinis moti, et per febrim fortius acti communi fere applausu reductam esse voluit (c). Clariora haec fient in §§. sequentiis.

(a) *Confr. Illustr. Praef. l. c. §. §. CXVI. CXVII. nec non CCCCVIII. et sequ.* (b) *Libr. III. cap. X.* (c) *Vid. Ei apbor.*

ACCESSIONE PER QVAM FACILI

*apbor. de cognosc. et curandis morbis §. 371. nec non per-
ill. L. B. de SWIETEN in comment. ad h. l.*

§. IV.

De locis in C. H. ad inflammationem idoneis.

Ex §. anteced. patet, in inflammatione adesse admodum vehementem vasorum sanguineorum vibrationem cum eorundem distensione connexam. Qua de causa omnes corporis humani partes inflammationis compotes fieri poterunt, quas modo vasa sanguinea adeunt. Neque ideo excipiuntur ea loca corporis, quae magis abundant vasis lymphatico-serosis: quorum exempli gratia pertinebunt glandulae, tunica albuginea oculorum, nec non complures aliae membranae. Constat enim ex anatomicis, vasa lymphatico-serosa subire nempe cum sanguineis, ita, ut sub accessione certarum in corpore humano conditionum, (de quibus infra differendi patebit locus), ex his ad illa quoque transire possit sanguis, consequenter etiam inflammatio ibidem oriri: prouti hoc frequentissimae monstrarunt observationes.

§. V.

De causis inflammationis.

Iam ad causas inflammationis accedo: quarum etiam indolem ex §. III. ita colligere licebit. Inflammationis scilicet notio, ibidem proposita, vasorum sanguineorum vibrationes ac distensiones supra modum excedentes requirit. Necessè igitur erit, ut tunc etiam in vasis sanguinis copia increseat, sanguisque ipse in illa vi magis

gis intensa ac perseverante agat. Quidquid adeoque huic conditioni in vasis sanguineis producendae inferuire potest, illud etiam ad inflammationis causas pertinebit. Sed huc iam referre licebit: stases, obstructiones vasorum, atque aliae eorundem permeabilitatis laesiones, fluidi ipsius per vasa transeundi vitia, vasorum solutio, debilitas, rigiditas, compressio, constrictio, sanguinisque ipsius tam ab his, quam etiam aliis internis externisque causis productae ad loca affecta congestiones. Exinde iam satis constare poterit de ratione causarum inflammationis tam proximarum, quam remotarum (a).

- (a) Quam in rem *confr. perill.* L. B. de SWIETEN *l. c.* ad *aphor.* 370. et sequ. *Illust. Praefes l. c.* §. CXVI. atque aliis §. §. huc spectantibus.

§. VI.

De illius effectibus variis.

Sequitur nunc etiam variorum, quae in casibus inflammationis prodire solent, phaenomenorum expositio. Huc itaque primo loco referenda esse videntur: tumor partis affectae, rubor, calor, dolor, pulsationes ibidem abortae, his tandem accedentes motus febriles. Singula haec disputanda iam erunt explicatius. Non deficiunt ad loca inflammata vasorum sanguineorum validae vibrationes ac distensiones, eaeque per sanguinis ibidem a tergo adfluentis vim magis magisque auctam ac perdurantem productae: prouti hocce iam ex §. §. IV. et V. satis euidenter apparet. Sed tunc etiam necesse erit,

erit, vt ob eiusmodi sanguinis ad loca affecta co-
ceruationes eleuatio quaedam vltra eorum reli-
quam superficiem fiat, magis increseat, tumor adeo-
que ibidem suboritur. Quoniam vero tumor iste ori-
ginem suam debet sanguini ad loca inflammata cum im-
petu adfluente, ibidemque magis magisque se se coacer-
uanti et vasa ita distendenti, vt per expansas eorum
tunicas sanguinis rubedo facile fiat conspicua: hinc
iam satis liquida erit ratio ruboris illius, qui in par-
tibus inflammatis prodire solet. Similiter etiam tam de
calore, quam dolore ibidem simul oborto constare pot-
erit. Sub tanto enim attritu sanguinis ad parietes vaso-
rum, quantus ille in casibus inflammationis obtinet, ca-
loris quoque, siue ardoris ortus ad loca adflita necessa-
rius erit. Sed et doloris causa hic manifesta est. Vasis
enim supra modum distentis a sanguine ibidem coacerua-
to atque cum impetu a tergo vrgente, illorum tunicae
distrahentur, consequenter etiam fibrae nerueae per
has disperfae: vnde doloris excitatio. Neque minus ex
adductis colligi facile poterunt causae pulsationum il-
larum, quas ad loca inflammata deprehendere licet. Cum
enim sanguis per arteriarum caua continuo cum impetu
ibidem adfluat, haec valde ampliet, vt horum canalium
lateribus ab axi sua magis raptimque remotis, ea iterum
simili ratione contrahantur atque axin suam versus repel-
lantur: non poterit igitur non pulsationum ortus in istis
locis inde satis perspicue intelligi. Quod tandem ad mo-
tus febriles, hic etiam concurrentes, attinet: ne eorum
quidem origo ex iis, quae hactenus disputata iam sunt,
obscura esse poterit. Ex pathalogicis enim constat, mo-
tus

§ ED PHRENITIDOS AD VARIAS FEBRIVM SPECIES

tus febriles in iis casibus numquam desiderari, vbi de stasibus, obstructionibus, humorum variis vitiis ac congestionibus validis nullum superest dubium; huc imprimis accedente nimia in corporibus aegrorum irritabilitate ac sensibilitate (a). Qua vero conditione corporis non destitui inflammationes, satis iam comprobant in antecedentibus proposita. Quapropter etiam necesse erit, vt inflammationibus motus febriles superueniant, iique modo leuiores sint, modo grauiores; pro ratione nimirum magnitudinis morbi inflammatorii, et locorum, ab illo in corpore aegrotante occupatorum. Sic inflammatio exigui ambitus, praesertim in parte aliqua externa, neque adeo sensili orta, motus febriles leuioris momenti comites sibi habebit. E contraria vero parte summi momenti febris erit, quae ab inflammatione proficiscitur, magna spatia emetiente, atque occupante inprimis loca corporis magis interna ac prae reliquis sensibilitate praedita. Vtrumque passim confirmant obseruationes; vt-pote quarum testimonio certissimo constitit, febres inflammatorias leuioris cuiusdam morbi indolem quandoque indicare, saepius vero pro more morborum perquam acutorum incedere (b).

(a) *Confr. illustr. Praef. l. c. libr. II. cap. CXVII. Perillustr.*
L. B. de SWIETEN *l. c. ad apbor. 558. et sequ.*

(b) *Illustr. Praef. l. m. c. cap. VI. et CXXIII. Perillustr.*
L. B. de SWIETEN *l. c. apbor. 370.*

§. VII.

Eiusdem argumenti continuatio.

Praeter inflammationis effectus, hucusque propo-
tos, restant adhuc alii hoc loco recensendi, ex quibus
praesertim constare poterit, quem exitum morbus iste
nancisci soleat. Omnes vero inflammationes, teste
experientia, quadruplici modo solvuntur, scilicet: vel
per discussionem, siue sanguinis stagnantis plenariam re-
solutionem; vel per suppurationem, seu inflammationis
transitum in apostema; vel per scirrhum, seu tumoris
indurati in locis affectis productionem; vel denique per
gangraenam et sphacelum, siue eam, quae in partibus
inflammatis tandem prodire solet, mutationem: vbi ni-
mirum rubedo iam ad nigredinem vergit, dolor ardens
ita increfcit, vt secundum aegrotantis perceptionem
parti dolenti prunae cadentes inesse videantur, mox ve-
ro cessat, ichor fit conspicuus, foetor putridus percipi-
tur, totiusque tandem partis corruptio ob putrefactio-
nem insequitur plenaria. Ex his iam recto ratiocinio
colligere licebit, quanam istarum solutionum in morbo
inflammatorio alteram salubritate antecellat, quanam
altera peior sit, quanam denique omnium pessima. In-
flammatione itaque plenarie discussa, vasa iterum fiunt per-
meabilia, pars affecta pristinae integriati suae mox resti-
tuitur, et aeger cito conualescit; nisi fortasse corruptio
quaedam insignis totius massae humorum hic quandoque
obesse videatur. Perducta vero ad suppurationem in-
flammatione, aegrotantis restitutio magis iam retarda-
bitur. Nam tunc necesse erit, vt omne stagnans in pus-
con-

conuertatur, hoc e locis affectis euacuetur, solutionesque continui ibidem natae iterum coeant: ad quae perficienda longiore iam tempore natura eget. Vt de eo nihil dicatur, quod in casibus abcessuum internorum eiusmodi euacuationes materiae purulentae saepius fieri nequeant, vel fiant difficulter ac cum magno periculo. Neque secus, immo fere peius se habebit cum ea inflammationis solutione, quae productione scirrhii terminos suos attingit. Nam et nulla hic fit integritatis locorum affectorum restitutio, et metus relinquitur, fore, vt ibidem noua facile accendatur inflammatio, priore deterior. De inflammatione tandem, per gangraenam et sphacelum soluta, fatis iam clarum est, quod ea omnium pessima sit; siquidem tunc necesse erit, vt sub continuo putrefactionis in corporibus aegrotantium incremento, copiosisque particularum putridarum delationibus ad massam humorum, funestus morbi euentus ineuitabilis fieri debeat (a).

(a) Iuuabit hic quoque allegationem, §. antecedenti subiunctam, repetere.

§. VIII.

An etiam similes effectus inflammationis in phrenitide?

Phrenitis inflammationem in encephalo natam, febrisque inde necessario ortae speciem peculiarem requirit; id docente §. II. Quid igitur de inflammatione generatim asserere licet, illud etiam speciatim de ea valebit, quae sedem suam in encephalo constituit, adeoque phreniti-

nitidem efficit. Quare hic etiam similes inflammationis effectus vt prodeant, oportebit. Quibus insuper alii accedere debent, quos locorum affectorum conditio sibi in specie vindicat. Singula haec probe congruunt cum obseruationibus (a).

- (a) Conferri hic poterunt: *perill.* L. B. de SWIETEN l. c. §. 771. et sequi. praecipue ea, quae notantur ad §. 775. CHRISTIAN. VATERVS in *dissert. de phrenitide*. Allegantur ibidem ex *Actis Parisinis*, aliisque obseruatoribus fide dignissimis exempla phrenitide demortuorum, vnde praeterea cadauerum dissectione, sequentia iam innotuerunt. Tenuis meninx cerebri tota rubedine praedita et inflammata erat, immo et ipse cortex cerebri, qui naturaliter griseum colorem refert, adeo rubescebat, ac si arte anatomica repleta fuissent rubra materie eius vasa. Saepius vero intra cerebri loca reperiebantur apostemata, tumores duri, vasa sanguine atro admodum turgida, ichorem acrem ac foetidum fundentia, ipsaque quasi colliquefacta. Quae omnia manifesto probant, in phrenitide adesse inflammationem encephali, eamque ratione exitus sui illi plane similem, quae alia quoque loca corporis humani occupauit. Speciales vero eius effectus, hic simul concurrentes, a qualitate partis affectae, de cuius functione antea omnino constare debet, deriuandi erunt. Vid. *Illustr. Praef. l. c. Libr. II. cap. CXXIV.*

§. IX.

Phrenitidos facilitas accedendi ad alias febres generatim.

Quodsi iam fieri possit, vt in omni febre ea conditio corporis locum inueniat, quae inflammationi in encephalo

phalo producendae sufficiat; huc praecipue concurrentibus aliis causis, iisque modo internis, modo externis: tunc etiam de phrenitidos ortu facili nullatenus dubitari poterit. Sed hac conditione corporis nulla febris in genere caret. Constat enim per principia pathologica, inter multas alias mutationes, quae in corporibus febrilentibus prodire solent, oboriri ibidem quoque ad loca capitis humorum coaceruationes, siue congestiones (a): quibus iam productis, vasa in encephalo distenduntur, debilitantur, magis increfcunt ratione distensionis suae, alia sibi vicina comprimunt, generantur ibidem stases ac obstructions, mox infequuntur maiora ad eadem loca corporis congestionum augmenta, hinc etiam causae inflammationi ibidem excitandae accommodatissimae (§. V.)

(a) *Confr. illustr. Praef. l. c. Libr. II. Cap. CXVII.*

§. X.

Quaenam febrivm species hic prae aliis valeant.

Quamvis igitur ex §. anteced. satis manifesto appareat, in omni febre non desiderari humorum congestiones encephalon versus; ideoque fieri posse, vt etiam parti istius inflammatio facile importetur: non impedit tamen, quominus vna febris species altera promptior sit ad tanti effectus productionem. Neque hoc etiam aliter fieri poterit; siquidem differentis gradus ac vehementiae congestiones istae humorum esse solent, quae in casibus febrivm ad caput oboriuntur. Sic illae in febrivm continentibus atque acutis continuis magis erunt exacerbatae, leniores vero in chronicis continuis ac intermittentibus.

Atque

Atque ideo phrenitidos ortus in casu priore facilius erit, difficilius in posteriore. Semper vero accelerari poterit in febre quacunque mali phrenitici aduentus per causarum, hic multum valentium, accessiones factas.

§. XI.

Illarum expositio speciatim.

Huc iam pertinebunt, teste experientia, morborum causae quaedam in corpore dilitescentes; morbi varii, iique modo praesentes, modo praeteriti; tandemque alia ad corpus febricitantis admissa. De quibus omnibus nunc iam sigillatim agam, initium differendi facturus a plethora, spissitudine humorum, eorumque vitiis aliis. Quando igitur sanguinis abundantia in corpore inualuit: necesse tunc erit, ut vasa valde distendantur, atque ea praecipue, quae, ut in encephalo fit, tenerioris texturae sunt, ac per varios anfractus decurrunt. Eiusmodi vero vasorum distensionem mox insequitur debilitas, distensio in illis magis increfcet, alia sibi vicina comprimuntur, fientque sanguinis maiores circa eadem loca accumulationes. Atque eiusdem quoque conditionis effectus ex humorum spissitudine, aliisque eorum vitiis prodire posse, Pathologia docet, passim confirmat fida observatio. Hinc sanguinis congestio encephalon versus, ab his causis facta, accessione sua illam magis iam adaugebit, quae febre generatim originem suam debet; atque ibidem inflammationem, adeoque phrenitidem perquam facile excitare poterit (§§. II. V. IX. et XI.).

§. XII.

Idem argumentum continuatur.

Similis effectus hic etiam esse poterunt: flatulentiae atque alia incommoda, in intestinis oborta; passiones hypochondriacae, aut hystericae, nec non haemorrhoidum, vel fluxus menstrui adfectus. In flatulentia distenduntur intestina ab aëre iisdem incluso, idque saepius tantopere, vt inde vasa per abdomen distributa mirum in modum comprimantur. Quo fit, vt impedito ibi libero transgressu sanguinis, iste magis ad loca corporis superiora restingatur, ideoque etiam encephalon a sanguinis copia in eo crescente simul adficiatur. Quia tunc etiam manifesta spasmi peripherici paullo vehementioris prodire simul obseruantur indicia: hinc necesse erit, vt tum quoque ad sanguinis confectionem, erga encephalon iam directam, maiora fiant augmenta. Cum vero idem effectus a pertinaci alui obstructione, ob molem excrementorum, vnde saepius intestina supra modum distenduntur, produci possit: huius morbi rationem hic quoque habendam esse, liquet. Sed et spasticae intestinorum adfectiones hic multum valere, ex antecedentibus satis constare poterit. Ad passiones vero hypochondriacas aut hystericas, vel haemorrhoidum aut fluxus menstrui incommoda quod attinet: omnia, quae de hoc momento hic dici possent fusius, eo iam redibunt. Frequenter nempe oboriri hic solent flatulentia, alui obstructio, spasmi in intestinis. Vnde etiam effectus nunc modo propositis similes. Hic insuper accedere simul possunt: sanguinis spissitudo, stases in vasis viscerum abdominalium, eorumque obstructiones, con-

strictio-

strictiones. A quibus causis eisdem quoque effectus dependere saepius oportebit. Consentunt cum his singulis observationes et reliqua principia pathologica. Unde etiam eadem ratione, qua in §. anteced. hic quoque deducere licebit consequentiam ad phrenitidos ortum in febre perquam facilem.

§. XIII.

Idem ulterius.

Hunc censum subeunt porro: morbi admodum laesae respirationis; tussis valde exacerbata; capitis adfectus varii, iique tam praesentes, quam praeteriti; vermium colluies in intestinis; nec non adfectus nephritici. Ob impedimenta enim, quae in morbis admodum laesae respirationis sanguini, per pulmones transeunti, opponuntur, sanguinis in encephalo per venas iugulares iterum reuehendi necessariae efficiuntur retardationes. Hinc etiam, sanguine continuo a tergo adfluente, illius quantitas ibidem magis augebitur, statusque congestioni ad eadem loca factae similis proueniet. Quanta vero in tussi admodum exacerbata ad caput fiat sanguinis congestio: hoc satis inter alia probant prodeuntia in facie tussientium phaenomena. Capitis adfectus, quotquot etiam illorum numerare liceat, sine sanguinis congestione illorum facta, vix concipiuntur; cessant tandem, ob locorum vero sensibilitatem eximiam mox iterum ad pristinam sedem suam reuertere solent; praesertim ad causas alias, licet leuissimis, hic concurrentibus. A vermium

mium in intestinis colluue flatulentia, atque aliae intestinorum adfectiones, de quibus iam in §. anteced. disputatum erat, produci solent. Quibus insuper saepius accedere solet notabilis quaedam totius massae humorum in corpore corruptio, inde nata. Hinc etiam validiores humorum ad caput congestiones. Adfectuum tandem nephriticorum ea quoque ratio est, vt partim ob spasmodicam vehementiam ad regionem lumbarem et loca abdominis, partim ob flatulentiam doloresque colicos, perquam acerbae sanguinis congestiones encephalon versus nonnunquam concitentur. Quibus singulis obseruationes probe respondent; quemadmodum hoc ex pathologicis satis cognitum est. Nihil igitur impedit, quo minus hic etiam eodem modo, quo in §. XI. factum est, concludatur ad phrenitidos in febre genesis haud difficilem.

§. XIV.

Eiusdem argumenti prosecutio.

Neque minus similis efficaciae erunt varia ad corpus febris obnoxium admissa: quae praeter caetera, praecipua mihi esse videntur sequentia, a me iam enarranda. Scilicet: vomitoriorum atque opiatorum abusus; remedium nimis exaestuans liberalior vsus internus; nimius aeris in loco calor, vbi decumbit aegrotans; totius corporis, et pedum imprimis, refrigerationes; animi tandem pathemata. Quae circa vomitum conspicua fieri solent phaenomena, ea satis manifeste indicare possunt, quanta hic sanguinis congestiones ad caput esse debeant. Facies enim tunc turgida fit, oculi humoribus
et

et caligine quasi suffusi apparent, aurium tinnitus ac vertiginis incommoda suboriuntur: quae omnia ad gradum longe maiorem proueniunt, quo vehementior vomitus fuerit, aut homini acciderit, cui naturalis quaedam difficultas vomendi inesse videtur. Opiata vero non aliter agunt, quam ut vasa in encephalo distendant, iisque distentis nerui in cerebro comprimantur; prout hoc nostris temporibus experimenta ac obseruationes satis euidenter declararunt. Nullum igitur dubium de sanguinis congestione in encephalo hoc loco supererit. Hinc etiam facile erit ad intelligendum, cur loco somni vigiliae magis, inquietudo ac deliria insecta sint usum opii incautum. Quoniam remedia calefacientia, ut spirituosae, aromatica, vi pollent sanguinem in corpore magnopere commouendi: tunc etiam illius copia in vasis encephali, tamquam debilioribus aliis magis incrementum accipit. Idem similiter produci posse a nimio calore externo, per experientiam multoties constat. Porro: facta corporis febrilis refrigeratione, transpiratio suppressitur, et fluida magis ad loca interiora coguntur, ob pertinaces saepe in locis periphericis obortas constrictiones; unde etiam maior in vasis encephali sanguinis accumulatio. Celerioris vero efficaciae haec causa esse obseruatur, quando illa nimirum ad pedes magis admittitur; ob maiorem forte harum partium sensibilitatem. Animi tandem pathemata permultum hic valent; siquidem iis obortis, partim magis commouetur sanguis, partim ad loca interiora magis repellitur. Sed iam in casu utroque fieri poterit, ut illius coaceruationes in vasis encephali producantur. Quae omnia cum obseruationis congrua esse, ex pathologicis satis iam constat.

C

Qua-

Quare etiam in istis casibus eadem principia hoc loco valebunt, quorum vsus in §. XI. obtinuit. Vt itaque sub iisdem conditionibus corporis in casibus nunc modo propositis phrenitidos ortum perquam facilem deriuare liceat.

§. XVI.

Scholion.

Hactenus a me prolata, fore iam sufficientia existimo ad cognoscendum, qua scilicet ratione fieri possit, vt tam facile phrenitis ad alias febrium species accedat. Videor itaque mihi id nunc expleuisse, quod in §. I. a me erat promissum; facta iam argumenti pertractati reductio-
ne ad genuina cognoscendi principia. Nam quae alia his certiora esse possunt? me iudice, nulla alia. Vera enim morborum theoria accuratis obseruationibus, indeque recte deriuatis principiis innititur. Qua via magni semper medici inceserunt: quorum exempla imitari laudabili est. Lubenter quidem fateor, me plures alios casus speciales, praeter adductos in tractatione, potuisse in medium proferre: quod vero a me omissum est consulto. Superuacanea enim mihi videbatur esse omnium, qui hic accidere possunt, casuum specialium verbosior enarratio; dum congruis argumentis a me iam antea in peculiaribus paragraphis dissertationis huius generatim probatum erat, cur phrenitidis accessio ad alias febres facilis sit, cuiuscunque indolis causas esse oporteat, huic accessioni inferuientes. Sufficere hic igitur poterat frequentium quidem, licet saepius praeteruisorum casuum allegatio. Curandum modo erit, ne in applicatione principiorum deficiat studium. Quare hic ratio haberi debet eorum omnium momentorum, quae ad indiuidualem, vt dicunt

dicunt Pathologi, subiecti aegrotantis determinationem pertinent: vt exempli gratia aetas, vitae genus, temperamentum, atque alia. Sed restat, vt etiam de argumenti vsu practico differam.

§. XVII.

Vsus practicus.

Phrenitis inflammationem in encephalo natam sibi vindicat: erit adeoque morbus, ob qualitatem locorum adfectorum, periculi plenissimus. Solent insuper symptomata hic prodire, vt ex Pathalogicis constat, salutari aliarum febrium solutioni nocentia. Quare ex illius ad alias febres accessione vitae periculum in aegrotante magis increfcet. Hinc iam patet: methodum medendi in casu proposita ita adornandam esse, vt ad phrenitidem magis, quam alias febres, quibus illa superuenerat, respiciatur; non tamen prorsus postpositis eis simul remediis, quae in aliis febribus proficua sunt, neque phrenitidem exacerbant. Quare hic locum inuenient sequentes regulae practicae, siue indicationes: studendum est, vt stasis inflammatoria in encephalo resoluator; impetus sanguinis ad caput adfluentis imminuatur; aestus febrilis temperetur; viresque tandem aegrotantis resciantur. Conueniet itaque venam incidere, et sanguinem successiue vsque ad pulsum mollem euacuare; sinapismos ad plantas pedum, vesicatoria ad suras applicare, clysterum stimulantium, aliorumque remediorum deriuantium vsum adhibere; nitrosa, acida, aliasque potiones temperantis, diaphoreticae ac roborantis efficaciae in vsum vocare, similisque virtutis potum largiter propinare; regimen blande diaphoreticum commendare; neque etiam omittere congruum vsum externum remediorum discutientium ac roborantium, capiti applicandorum.

T A N T V M.



MARTINVS FRIDERICVS LVDOVICVS
EISFELD

MEDICINAE DOCTOR ET PRACTICVS BRANDENBVRG.

FILIO SVO CARISSIMO

S. P. D.

Etsi multis, iisque haud leuibus, negotiis impeditus vix ad alia
animum aduertere possum: tamen Tua me voluntas, vt meo
erga te animo obsequerer, idque, quod iam Tibi a me debetur, per-
soluerem, commouit. Multa vero adicere cupienti mihi pauca licere
scito. Nihil enim audeo dicere de artis, cui Te tradidisti, praestan-
tia: quippe quod prohibet vitae genus, quod securus sum. Similiter
filere debeo laudes Tuas; patris enim loco cum multis iam abhinc
annis me habueris, Te laudans facile ipse mihi adulari videri possem.
Quoniam itaque id fieri, quod vellem, non potest, volo iam id, quod
licet, ac pleno, quod aiunt, ore Tibi gratulor de clarissimis illis atque
multis et maximis meritis exornatis Viris, quibus Tibi Doctoribus vt
contigit. Quorum quidem cum tanta de Te merita sint, quanta a ta-
libus Viris exspectari debent, hoc est maxima, grauem quoque Tibi
apud



apud me constitutam et paratam esse expectationem credito. An fortunam quoque ad hanc expectationem respondentem Te manere putem, interrogas? Eo iam nobiscum peruentum est, mi Fili, vt illud: quo doctior, eo contemtor, non raro in nos conueniat. Tu quoque postpositum Te saepe experieris homunculis, qui aliquam artis medicae partem, eamque leuissimam, complexi in totum se doctos credunt. Quod quidem nisi ab indoctis fieret, tolerandum esset; praesenti vero rerum statu de vitae, quod elegisti, genere gratulerne Tibi, an timeam, nescio. Quidquid sit ita res Tuas adorna, vt recta solum ratione, non opibus, non honoribus, non opinionibus aliorum Te regi ipsa Tua vita cuique persuadeas. Quod quidem si statueris eum facile vitae cursum tenere poteris, quo ad veras laudes verosque honores peruenias. Ita demum conatibus Tuis ex animo gratulor ac prosperum Numen, vt pulcherrimis Tuis coeptis adspiret, etiam atque etiam opto. Dabam Brandenburgi die X. Aprilis A. O. R. c1o1cccclxxvi.


AMICO SVO OPTIMO
CHRISTOPHORO THEODORO
NIEFELDIO

S. P. D.

IOANNES ANDREAS CHRISTIANVS MICHELSEN.

R. M. C.

Si quisquam est, qui ex honore, qui iam in Te confertur, gaudium capiat, illumque Deum Tibi fortunare velit, eum ego me esse profiteor. Nam cum Te semper ob indolem virtutum amaui, ob diligentiam vero in ea excolenda etiam dilexi, tum tanta sane, tamque vber atque iucunda amicitia est, qua cum patre Tuo, clarissimo Viro, Tuique amantissimo coniunctus sum, vt quae Tibi laeta eueniant, et bona mihi non possint non iucunda esse. Facile itaque mihi credes, me ex animi sententia Tibi gratulari honorem adeptum, praesertim cum aliter ad me non pertinuisset immiscere me gratulantium multitudini. Sed ex animo aequae vere Tibi gratulor, Deumque T. O. M., vt in posterum quoque Tibi rebusque Tuis clementissime adfit, conatibusque Tuis prosperrimos largiatur successus, etiam atque etiam rogo. Quod vt Tibi ex animo apprecor, ita Tu me, id est, hominem Tui amantissimum, et deditissimum Tibi, amare perge. Vale, mihique Te neque cariorem, neque iucundiorem esse quemquam Tibi persuade. Dab. Brandenburgi die XVI. Aprilis cl^olxxvi.




ULB Halle 3
003 249 530



5b.







13
1776, 28

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PHRENITIDOS
AD
VARIAS FEBRIVM SPECIES
ACCESSIONE PERQVAM FACILI

QVAM
E DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. ADAMO NIETZKI
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ET FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CAPESSENDIS

H. L. Q. S.
DIE II. MAII MDCCCCLXXVI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CHRISTOPHORVS THEODORVS NIEFELD
NAVENSIS MESO-MARCHICVS.

HALAE AD SALAM
STANNO CVRTIANO.